

DE ORIGINE NOMINIBUSQUE DECIMI MAGNI  
AUSONII BURDIGALENSIS\*

Decimus Magnus Ausonius, grammaticus et rhetor illustris, Burdigalae natus est patre Iulio Ausonio et matre Aemilia Aeonia. Quo autem anno lucem aspexerit, dubium est, cumque certa desint indicia, conjectura tantum statui potest ex eis quae ipse poeta Burdigalensis de se suisque parentibus tradidit. Nemo enim scriptor antiquitatis tam plura indicia nobis reliquit de sua vita privata et publica praeter Ausonium<sup>1</sup>, qui in primis in *Parentalibus*, in *Commemoratione professorum Burdigalensium*, in carminibus *ad lectorem* et *De herediolo*, in *Epistulis* sed etiam in aliis opusculis, lectorem certioreum facit subtiliter de sua vita, de suis cognatis et adfinibus, de amicis et familiaribus, de suis professoribus; itaque de vita Ausonii, quamquam testimonia scriptorum antiquorum pauca sunt<sup>2</sup>, quasi omnia scimus praeter originem paternam de qua silentium tenuit.

Iulium Ausonium, qui diem supremum obiit certe anno ccclxxviii, cum viderit filium praefectum «Galliis et Libyae et Latio» et «huius (sc. filii) natum et generum pro consule» atque «consul ut ipse foret, spes» sibi «certa fuit» (*Epiced. 2, 42 & 45 - 46*), ex aliis locis carminum natum

---

\* Gratias ab imo pectore agere velim professori G. P. Sabbatidi, qui hoc scriptum libenter legit observationesque utiles fecit; cui quoque hunc laborem, quippe qui praceptor meus fuit semperque magno cum studio litteras latinas coluit, latino sermone elaboratum honoris causa dedico.

1. Cf. A. Pastorino, *Opere di Decimo Magno Ausonio*, (Classici U.T.E.T.), Torino 1971, p. 11; R.P.H. Green, *The Works of Ausonius*, Oxford 1991, p. xvii.

2. Cf. C. Schenkl, *D. Magni Ausonii opuscula (MGH)*, Berolini MCMLXI (= MDCCCLXXXIII), pp. xvii - xviii; R. Peiper, *Decimi Magni Ausonii Burdigalensis opuscula*, Stutgardiae MCMLXXVI (= Lipsiae MDCCXXXVI), p. lxxx; vide etiam nostram dissertationem inauguralem *Decimi Magni Ausonii Cupido cruciatus*, Ioanninis MCMXCIII, pp. 3-4.



esse anno sive cclxxxviii sive cclxxxx cognoscitur, cum «undecies binas vixit olympiadas» (*Parent.*, 1, 4) aut alio indicio «nonaginta annos» exegit (*Epiced.* 2, 61). Ex alio loco Ausonii suspicari licet Iulium adolescentulum Aemiliam Aeonium in matrimonium duxisse, annos fere undeviginti natum: in epistula, qua patrem de suscepto filio certiores facit Ausonius supparis fere se aetatis parti esse dicit ac fratribus vicem habere posse (*Epist.* 1, 13 sqq. nam subparis aevi / sum tibi ego et possum fratribus habere vicem)<sup>1</sup>. Itaque matrimonium Iulii circa annum trecentesimum octavum fuisse conicitur, quo ex matrimonio cum non Decimus primus ortus sit sed Aemilia Melania soror, quae «uno quamvis... consule maior» (*Parent.* 29, 4) eo erat, annus, quo natus est Ausonius, maxima cum probabilitate trecentesimus decimus fuisse videtur<sup>2</sup>.

De nominibus, quibus ipse Ausonius usus est, gravissimos testes habemus codicem *Sangallensem* 899 (x saec.) et *Bruxellensem* 5369/73 (xii saec.), in quibus haec leguntur «*Decimi Magni Ausonii Mosella*». Eodem ordine haec nomina, quamquam primum leviter corruptum, traduntur in libro *Parisino* 8500, ubi quinque haec inveniuntur adiecta «*Decii Magni Ausonii*». Eudem titulum habet codex quoque *Vossianus Q 107* (aut *Tilianus*) in opusculo *de urbibus nobilibus*<sup>3</sup>. Denique aliud nomen servatum est in codicibus recentioribus, in quibus *Paeonius* dicitur Ausonius, veluti *Escorialensi* III S 25 eiusque fratri gemello, ex quo fluxit editio princeps Ausonii<sup>4</sup>. *Paeonii* autem in codice *Vaticano* 3152 corruptum est in *Ponponii* et in aliis codicibus recentioribus in *Theonii* et in *Aeonii*, quae nata esse ex conjectura videntur, ut Barthius

1. Cf. item C. Schenkl, *op. cit.*, p. vii; R. Peiper, *op. cit.*, p. lxxxvi.

2. Haec autem ratio de anno natali Ausonii ex alio loco ipsius confirmari videtur, ubi de suo avunculo Aemilio Magno Arborio memorat eum «lactantem, puerum iuvenemque virumque / artibus» se ornatisse «quas didicisse iuvat» (*Parent.* 3, 9-10). Reliquit autem Arborius Tolosam, ubi nepotem cum se contulerat, et Constantinopolim migravit ad educandum filium quendam Constantini Magni imperatoris anno fere cccxxviii aut cccxxx; quo tempore, cum duodeviginti aut viginti fere annos natus esset Ausonius, recte se iuvenem virumque nuncupat; cf. C. Schenkl, *op. cit.*, p. vii; P. Peiper, *op. cit.*, p. lxxxvi; Fr. Marx, *RE* II<sup>2</sup> (1896), col. 2563 (s. v. Ausonius); M. J. Byrne, *Prolegomena to an Edition of the Works of Decimus Magnus Ausonius*, New York 1916, pp. 7 & 10, ut ceteros studiosos posteriores omittam, qui eos priores consecuti sunt.

3. Cf. C. Schenkl, *op. cit.*, p. v; A. Pastorino, *op. cit.*, p. 15 n. 29.

4. B. Girardinus, *Paeonii poetae discretissimi epigrammaton liber primus* (editio princeps), Venetiis 1472, quae ut ex titulo videtur, sola epigrammata Ausonii comprehendit.



suspiciatur est, cum quo recte consentiunt omnes fere editores studiosique posteriores, ut Carolus Schenkl, Rudolfus Peiper et alii<sup>1</sup>.

Haec igitur nomina poeta Burdigalensis habuisse videtur, quamquam ipse poeta, quotienscumque in opusculis suis se refert, semper nomine Ausonio utitur<sup>2</sup>. Ex eis nominibus Decimus, quod primam partem in ordine tenet, primum praenomen latinum est<sup>3</sup>; cognomen Magnus, quod in ordine nominum Ausonii secundam pro tertia partem tenet, sine dubio poetam ab Aemilio Magno Arborio avunculo acceptisse non est infitiandum<sup>4</sup>, quippe qui fuit Ausonio, ut ipse scribit, «quod pater et genetrix» meliorque magister suus usque ad virilem eius aetatem (*Parent.* 3, 8-10), primum Burdigalae, dehinc Tolosae, ubi secum Arborius nepotem prius habebat quam Constantinopolim migraret<sup>5</sup>. Nomen tamen Ausonius, quod est cognomen patris sui, scilicet Iulii Ausonii, quamquam latine sonat atque ipse poeta plus quam semel latinum esse contendit<sup>6</sup>, investigandae originis esse videtur<sup>7</sup>.

1. Cf. item C. Schenkl, *op. cit.*, p. vi; M. J. Byrne, *op. cit.*, p. 8; A. Pastorino, *op. cit.*, p. 15 n. 29. Praenomina editorum germanorum latine versa exposuimus et nomina forma germanica, ut ipsi in editionibus suis fecerunt.

2. Vd. e.g. *ad lect. 1 Ausonius genitor nobis, ego nomine eodem & 39 hic ergo Ausonius; Parent. 9, 24 & 30, 12*; etiam in *Epistulis* hoc solum nomen poetae saepissime apparent.

3. Cf. Ch. T. Lewis - Ch. Short, *A Latin Dictionary*, Oxford 1968 (=1879), p. 520 (s. v. *Decimus*); E. Fraenkel, *RE* XVI<sup>2</sup> (1935), col. 1660 (s.v. *Namenwesen*); *ThLL Onom.* III 73, 56 sqq.; Th. Bögel, «Lateinisch *arbor* in der Entwicklung zum Maskulinum und Personennamen um Ausonius», *Helicon* 6 (1966), p. 44.

4. Cf. C. Schenkl, *op. cit.*, p. vi; Fr. Marx, *op. cit.*, col. 2563; M. J. Byrne, *op. cit.*, p. 8; Th. Bögel, *op. cit.*, p. 44, qui etiam interpretationem nominis Arborius conatus est (vd. pp. 37 et sqq., in primis 47-50). Ipse Ausonius, ut videbimus, stirpem huiusce cognominis explicuit (*Parent.* 4, 3-6).

5. Itaque Ausonius Tolosam «altricem nostri» (*Urbes* 18, 1) nuncupat. Addendum est etiam eadem in urbe adulescentem Ausonium fratres Constantini Magni cognovisse, qui tum Tolosae habitabant, cf. Fr. Marx, *op. cit.*, col. 2563 (s.v. *Ausonius*).

6. Vd. e.g. *Epist.* 10, 74-76 «misit tibi / ab usque Rheni limite / Ausonius, nomen Italum» & *Mosella* 440 «Ausonius, nomen Latium», ubi poeta Burdigalensis de sua origine loquitur (vv. 438-443), cf. W. John, *D. M. Ausonii Mosella mit einer Einführung in die Zeit und die Welt des Dichters*, Trier 1980 (=1932), p. 116; Ch.-M. Ternes, *D. Magnus Ausonius Mosella*, Paris 1972, pp. 8 & 95-96; R. P. H. Green, *op. cit.*, p. 510.

7. Cf. C. Schenkl, *op. cit.*, p. v. n. 1 «Ausonii nomen quamquam Latinum sonat, Gallicae tamen originis esse videtur, cf. Zeuss, Gr. celt<sup>2</sup>. 734, Diefenbach, *Celtica* II 1, 313, Bacmeister, *Alemannische Wanderungen* I 36».



Certe moribus romanis de formandis nominibus, cum praesertim in tertio et quarto saeculo nomina aut cognomina ex aliis nominibus nationum, regionum originalium, proprietatis naturalis, privilegii moralis, ex nominibus priscis aut ex alliis cognominibus singebantur<sup>1</sup>, nomen Ausonii ortum esse videtur ex nomine *Ausones* aut *Ausonii*, quod est nomen graecum oscici gentis *Aurunci*, qui erant prisci incolae regionis Italiae ad limites Latii et Campaniae sitae, unde tota Italia cognomen *Ausonia* cepit<sup>2</sup>. Ipsi etiam Ausonii primi incolae indigenae centralis et australis Italiae feruntur ante Troianos adventos. Qua ratione consentit iam traditio, quae incipere videtur a Servio, testificata iam multis locis commentariorum *ad Aeneidem*, vivit usque ad Pauli Diaconi saltem tempora (viii saec. p. Chr. n.) et defendit duo nomina, *Ausones* et *Ausonia*, orta esse ex nomine graeco Auson (Αὔσων, - ονος)<sup>3</sup>, qui traditione notiore fabulae filius Ulixis et Calypsus aut Circe fuit<sup>4</sup>. Quare nomen Ausonius, quod hac ratione originis nimio candore perfu-

1. Cf. Th. Mommsen, *Römische Forschungen*, I, Hildesheim 1962 (=Berlin 1864), pp. 43 sqq.; G. D. Chase, «The Origin of Roman Praenomina, III Latin Cognomina», *HSPh* 8 (1897), pp. 109-117; H. Rix, *LAW*, col. 2268 (s.v. Personennamen); D. K. Rałos, *Recherches sur le «Carmen de ponderibus et mensuris»*, Iwawa 1983, p. 38.

2. Cf. *ThLL* II 1537, 31-32 (s.v. *Ausones*) «nomen vetus et graecum Auruncorum quo poetae omne(s) Latum, res Romanas Italiamque appellabant»; *Servium ad Aen.* 7, 727 *AVRUNCI... isti* graece *Ausones* nominantur; J. Perin, *Onom.* I, p. 226 (s.v. *Ausones*); Hülzen, *RE* II<sup>2</sup> (1896), col. 2561 (s.v. *Ausones*); E. T. Salmon, *OCD*, p. 153 (s.v. *Aurunci*); B. Andreae, *LAW*, col. 412 (s.v. *Aurunker*); G. Radke, *Kl.-Paul.*, vol. 1 (1964), col. 772-773 (s.v. *Aurunci*).

3. Cf. *ThLL* II 1540, 23 sqq. «(Αὔσων) Ulixis ex Calypso vel Circe filius, a quo gentem terramque nomina accepisse Graecos secuti serebant Romani»; de locis Servii, quibus hanc originem nomini *Ausonia* proponit vd. item lineas 27-31 (s.v. *Auson*). Vide etiam Pauli Diaconi *Hist. Lang.* II, 24 «Italia etiam *Ausonia* dicitur ab *Ausonio* (scr. *Ausone*) *Ulixis filio*». De Paulo Diacono vd. M. Manitii *Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters*, vol. I., München 1965 (=1910), pp. 257 sqq.; F. J. E. Raby, *A history of Christian - Latin Poetry from the Beginnings to the close of the Middle Ages*, Oxford 1966 (=1927), pp. 162 sqq. Hac de origine nominum *Ausones* et *Ausonia* cf. item J. Perin, *Onom.* I, p. 227 (s.v. *Ausontus, adiectivum*); E. Paratore, *Letteratura pagana nella Gallia Romana* (Atti del colloquio sul tema: *La Gallia Romana*, Roma, maggio 1971), Roma 1973, p. 76.

4. Auson Ulixis ex Circe filius fertur (vd. Eustath. *Odyss.* 1379, 20; *Servium ad Aen.* 8, 328; Tzetzen *Lycophr.* 44), aut ex Calypsono (vd. *Servium ad Aen.* 3, 171; Schol. *Apoll. Rhod.* 4, 553; Suda s.v. Αὔσονίων); alia traditione, minus nota, fabulae filius Itali et Leutariae (aut Leucariae) fertur (vd. item Tzetzen *Lycophr.* 702). Ipse etiam Auson frater aut, in aliis fontibus, pater regis Latini, sacer qui



sum appareat, dum per se ad conditorem gentis primosque incolas indigenas Italiae recurrit, non solum latinae sed etiam graecae originis existimari possit<sup>1</sup>.

Nomen tamen Ausones, quamquam in litteratura graeca a quinto iam saeculo a. Chr. n. testimonium perhibet<sup>2</sup>, in litteratura latina ante Livium numquam reperiri potest<sup>3</sup>; eiusdem tamen gemellum nomen, sc. Ausonii, quod adiectivum «*ex graeco Αὐσόνιος, ante Martianum Capellam a solis poetis usurpatum, nisi quod Plinius et qui eum secuti sunt Ausonium mare dixerunt*»<sup>4</sup>, apud Vergilium et posteriores poetas in diversis iuncturis cum substantivis omnis generis utriusque numeri ad res romanas pertinentibus saepius usurpatur<sup>5</sup>. Cuius adiectivi graecitas et vetustas confirmantur etiam derivatis ex eo *Αὐσονικός*, *Αὐσονίτης* et compositis *Αὐσονοχράτωρ*, *Αὐσονάραξ*, *Αὐσονάρχης*, quae desunt linguae latinae<sup>6</sup>.

Non deest etiam probabilitas gallicae originis nominis, ut quidam germani studiosi contenderunt, cum nonem Ausonius saepius in Gallia occurrit<sup>7</sup> iunctumque est etiam cum regione Rheni unius inscriptionis causa super cingulum metallicum repertum<sup>8</sup> Coloniae, quae fuerat ca-

fuerat Aeneae, fuisse traditur. Sed plura de Ausone vd. in Hoefer, *RE* II<sup>2</sup> (1896), col. 2561 (s.v. Auson); B. Hederich, *GML*, col. 491 (s.v. Auson); W. H. Roscher, *LGRM*, vol. I.1 (1884-1886), col. 774 (s.v. Auson); P. Grimal, *DMGR*, pp. 71 (s.v. Auson) et 558 (genealogica tabula 39).

1. Cf. G. J. Fisher, *Studies in Fourth and Fifth century Latin Literature with particular reference to Ausonius* (doctoral thesis), Southampton 1981, pp. 4-5; M. K. Hopkins, «Social Mobility in the Later Roman Empire», *CQ* 11 (1961), p. 241; H. Sivan, *Ausonius of Bordeaux. Genesis of a Gallic aristocracy*, London & New York 1993, p. 56.

2. Cf. *ThLL* II 1537, 34-57, ubi loca antiquorum scriptorum graecorum testimonium nominis usque ad Hecataeum et Hellanicum ferunt; Hülsen, *op. cit.*, col. 2561 (s.v. Ausones); J. Perin, *Onom. I*, p. 226 (s.v. Ausones); M. Cancellieri, *Encyclopedie Virgiliana*, vol. I, Roma 1984, pp. 421-422 (s.v. Ausonia).

3. Cf. *ThLL* II 1537, 57-75 (s.v. Ausones).

4. *ThLL* II 1537, 78-81 (s.v. Ausones).

5. Cf. item *ThLL* II 1538-1540, ubi et exempla adiect. fem. *Ausonis* ex graeco *Αὐσονίς* (col. 1540, 4-22).

6. Cf. *ThLL* II 1537, 56-57 (s.v. Ausones) «*καὶ Αὐσόνιος κτητικόν. v. etiam graeca Αὐσονικός et Αὐσονοχράτωρ, Αὐσονάραξ, Αὐσονάρχης*».

7. Cf. C. Schenkl, *op. cit.*, p. v. n. 1; C. Julian, «Ausone et son temps I», *RH* 47 (1891), p. 245; J. Whatmough, *The Dialects of Ancient Gaul*, Harvard 1970, pp. 258, 410, 1111.

8. Inscriptionem AVSONI VIVAS W. John (*op. cit.*, pp. 116-117) cum origine matris Ausonii et cum habitatione ipsius Treveris iungendam putavit; ipse John,



put provinciae romanae administratum una cum tribus Galliis, quibus erat coniuncta<sup>1</sup>. Huic interpretationi gallica originis nominis Ausonii patrocinatur quod hoc nomen in nummis Merovingicis occurrit<sup>2</sup>. Quamquam linguam gallicam in quinto saeculo p. Chr. n. ne in rusticis quidem regionibus iam loqui<sup>3</sup> defensum est a quibusdam studiosis, tamen per quintum praesertim saeculum gravissimos testes habemus Sulpicius Severum et Sidonium Appollinaren, quorum ex locis concluditur ordinem saltem humiliorum in usu cotidiano etiam loqui celtice aut gallice<sup>4</sup>.

Gallica autem origo nominis defenditur nominibus in tabulis ad genealogiam matris atque coniugis Ausonii pertinentibus aut in *Commemoratione professorum Burdigalensium* memoratis, ut exempli gratia Argicus, Talisius, Talassus, quae, etsi latinae originis esse videntur, a studioso A. Hölder celtica existimata sunt; nomen etenim Arborius, quod certe latine sonat, opinione Th. Bögel in nominibus nuper translatis in linguam, quae erat usui cotidiano, comprehenditur;<sup>5</sup> ipse etiam Ausonius de origine nominis Arborii, avum maternum commemorans, explicat «Arborium, Haeduico ductum de stemmate nomen, / complexum

quamquam confisus videtur nomen Ausonius latinum esse, tamen alias etiam verisimiles interpretationes de origine huiusce nominis citavit.

1. De Colonia in antiquitate vd. Ihm, *RE* IV (1900), col. 510 (s.v. *Colonia Agrippinensis*); O. Doppelfeld, *PECS*, pp. 231-232 (s.v. *Colonia Agrippinensis*); O. Brogan, *OCD*, p. 212 (s.v. *Colonia Agrippinensis*); *ThLL Onom.* II 535, 1-13 (s.v. *Colonia*). De tribus Galliis vd. Th. Mommsen, *The Provinces of the Roman Empire* (transl. W. Dickson), London 1886, vol. 1, pp. 119 sqq.

2. Cf. R. Petper *op. cit.*, p. lxxx «Ausonius nomen semel occurrit in CIL III 1 n. 4211: L. SEPT. AVSONIO, saepius in nummis Merovingicis: cf. Anatole de Barthélémy in *Bibliothèque de l'Ecole des chartes* 1882 p. 287. ex libro (Fougères et Combrouse) Monétaires des rois mérovingiens, Paris 1843 tab. 25. 11». Quod ad domum Merovingorum pertinet, quae in Gallia regnavit ab exeunte quinto saeculo usque ad medium saeculum octavum vd. Enßlin, *RE* XV (1931), col. 1068 (s.v. *Merowech*); F. Lot, *The End of the Ancient World and Beginnings of the Middle Ages*, London 1966 (=1931), pp. 324-364.

3. Cf. Ch. Samaran. *Ιστορία καὶ μέθοδοι τῆς* (tranl. Ελένης Στεφανάκη), MIET, 'Αθήνα 1981, vol. B2, p. 289.

4. Vd. Sulpicius Severum *Dial.* 1, 27 «tu vero vel Celtice aut, si mavis, gallice loquere»; Sidonium Apollinarem *Ep.* 3, 3 «sermonis Celtici squamam depositura nobilitas». Cf. etiam S. Dill, *Roman Society in the Last Century of the Western Empire*, New York 1960 (= 1899), p. 167; A. H. M. Jones, *The Later Roman Empire* 284-602, Oxford 1964, vol. 2, pp. 992-993; C. E. Stevens, *OCD*, p. 219 (s.v. *Celtas*); H. D. Rankin, *Celts and the Classical World*, London & Sydney 1987, pp. 232-233.

5. A. Hölder (*Alte Keltischer Sprachschatz*) in Th. Bögel, *op. cit.*, pp. 47 sqq.

multas nobilitate domus, / qua Lugdunensis provincia quaque potentes / Haedues, Alpino quaque Vienna iugo» (*Parent.* 4, 3 - 6). Simil modo nomen Ausonius gallicae originis putatum est, quamquam ipse poeta, ut supra diximus, «nomen Italum» aut «Latium» esse contendit.

Nomen Ausonius tamen nostra quidem opinione non quomodo cumque gallicum putandum est, quoniam occurrit in Gallia atque in nummis Merovingicis, dum modo meminerimus post Galliam occupatam multa nomina latina personarum, quibus etiam nomina originis graecae mixta erant, mature a gallis adoptata conservataque esse in Gallia per multos aevos<sup>1</sup>. Exemplum in primis exponendum existimemus nomen Iulius, quod sine dubio praeclarum et priscum nomen gentilicium romanum fuit et Gallia occupata statim adoptatum a gallis esse videtur<sup>2</sup> et conservatum usque ad tempora poetae Burdigalensis; hoc enim fuit nomen genitoris Ausonii, quamquam deest nominibus eius quorum in ordine non appetet nomen gentilicium sed tantummodo praenomen (Decimus) et duo congomina (Magnus, Ausonius)<sup>3</sup>. Hac igitur qua exposuimus ratione quaedam nomina personarum, etiamsi eorum origo atque significatio oblita esset, conservata fuisse in aetate Merovingica non improbabile putandum<sup>4</sup>.

Graeca tandem origo nominis Ausonii non excludenda nobis videtur de causis quas breviter exponemus:

i) Cognomen Ausonius iungendum est, nostra quidem opinione, cum graeco adiectivo *Αὐσόνιος*<sup>5</sup>, quod etiam nomine Ausonia primo partem, postea totam Italiam nominavit, quae apud poetas dicta est etiam Saturnia vel Hesperia<sup>6</sup>, nomen certe graecum quod plane respon-

1. Cf. Ch. Samaran, *op. cit.*, p. 315.

2. Cf. item Ch. Samaran, *op. cit.*, pp. 296 & 313-314.

3. Notum est omnes cives romanos ab ultimis iam temporibus liberae rei publicae regulariter tria saltem nomina habere: *praenomen*, *nomen gentile* (aut *gentilicium*) et *cognomen*, cf. Th. Mommsen, *op. cit.*, pp. 42 sqq.; J. Marquardt, *Das Privatleben der Römer*, Darmstadt 1964 (=Leipzig 21886), I, pp. 8 sqq.; W. Schulze, *Zur Geschichte lateinischer Eigennamen*, Berlin - Zurich - Dublin 21966 (=1904), pp. 487 sqq.; E. Fraenkel, *op. cit.*, col. 1648 sqq. (s.v. *Namenwessen*); H. Rix, *op. cit.*, col. 2268; D. K. Rais, *op. cit.*, pp. 37-38 in primis notas 90, 91 & 96 ubi et *bibliographia extensa de singendis nominibus romanis*.

4. Cf. Ch. Samaran, *op. cit.*, pp. 313 sqq.

5. Cf. *ThLL* II 1537, 78-81 (s.v. *Ausones*) et quae supra diximus de hoc adiectivo.

6. Cf. Servius *ad Aen.* 3, 171 *Ausonia* primo pars, postea omnis Italia nominata; 8, 328 Italia plura nomina habuit, dicta est enim *Hesperia*, *Ausonia*, *Saturnia*, *Italia*. Cf. item *ThLL* II 1537, 81 sqq. (s.v. *Ausones*).



det nomini Ausonia, cui graeci singlicationem «occidentalis» dederunt. Hanc significationem cognominis sui, cui inest origo graeca, fortasse et ipse Ausonius dissimulat cum de eo nihil aliud dicit nisi Italum aut Latium esse<sup>1</sup>, dum eodem nomine tota Italia nominatur.

ii) Multis personis familiae<sup>2</sup> Ausonii erant nomina graeca quae respondent nominibus, latinis vel graecis, quae erant aliis personis eiusdem familiae: sic nomen graecum Dryadia respondet nomini Arborius, nomen graecum Idalia nomini latino Veneria, nomen graecum Melania respondet nomini Maura, cui, ut ipse poeta ait «nomen huic ioculare datum, cute fusca quod olim / aequales inter Maura vocata fuit». Ipse autem poeta de nominibus familiae suae certiores nos facit «nomina multis / ex nostra, ut placitum, ducta domo veniant: / derivata aliis, nobis ab stemmate primo / et non cognati, sed genetiva, placent» (*ad lect. 9 - 12*).

iii) Simili modo filio secundo poetae Burdigalensis erat nomen graecum Hesperius; filius primus poetae, qui obiit infans (*Parent. 10*), habebat nomen patris sui, scilicet Ausonius, quod respondet nomini Hesperius. Ex eis facile conicitur poetam voluisse duobus filiis suis dare ipsum nomen proprium<sup>3</sup>. Haec conjectura verisimillima videtur, quoniam nomen Hesperius maxime rarum est<sup>4</sup>, et hanc ob rem et nomini Ausonius data est interpretatio «occidentalis», «homo ex occidente»<sup>5</sup>. Ipsum etiam cognomen Ausonius in inscriptionibus latinis multo serius appetet<sup>6</sup> eodem adiectivo in litteratura, ut supra vidimus<sup>7</sup>,

1. *Epist. 10, 76 Ausonius, nomen Italum; Mos. 440 Ausonius, nomen Latium.*

2. De stemmate familiae Ausonii, paternae et maternae, sed etiam uxoris suae Sabinae vd. C. Schenkl, *op. cit.*, p. xiv; R. Peiper, *op. cit.*, pp. cxv-cxviii; M. J. Byrne, *op. cit.*, p. 4; H. G. Evelyn-White, *Ausonius*, Cambridge, Massachusetts, London 1968 (=1919), vol. I, pp. 58-59; A. Pastorino, *op. cit.*, p. 10; S. Prete, *Decimi Magni Ausonii Burdigalensis opuscula*, Leipzig 1978, p. lxvi; H. Sivan, *op. cit.*, pp. 49-64.

3. Cf. H. D. Rankin, *op. cit.*, p. 235 «Ausonius son was called Hesperius, a translation of Ausonius»; nomen autem plena forma est Decimus Hilarianus Hesperius, ex quibus primum et tertium eadem nomina Ausonii ipsius sunt et secundum cognomen graecae originis ex Hilaria materterea (*Parent. 6*).

4. Cf. Seeck, *RE VIII* (1912), col. 1249-1250 (s.v. *Hesperius 1 & 2*); *PLRE* I, pp. 427-428 et II, p. 552.

5. Cf. M. K. Hopkins, *op. cit.*, p. 261 «The name Ausonius -Westerner»; Th. Bögel, *op. cit.*, pp. 46, 49; H. D. Rankin, *op. cit.*, p. 235 «The name "Ausonius", "man of the west"»; H. Sivan, *op. cit.*, p. 56.

6. Vd. *CIL VI* 34618 M. Aurelius Ausonius fecit M. Aurelio Callimorpho filio suo. III 4211 (*in Pannon. Sup.*) L. Sept. Severo an te L. Septimio Ausonio. 151298 (*in gemma Salonis rep.*) Ausoni. Cf. etiam *ThLL* II 1540, 33 sqq. (s.v. *Ausonius*); J. Perin, *Onom. I*, p. 227 (s.v. *Ausonius*); R. Peiper, *op. cit.*, p. lxxxx.

7. Cf. *ThLL* II 1537, 82 sqq. (proprio lin. 78 sqq.) - 1540 (s.v. *Ausonius*).



et in litteris latinis ante opuscula ipsius Ausonii non apparere videatur<sup>1</sup>. Qua ratione hoc cognomen aetatis posterioris graecae originis iudicari possit.

Huic interpretationi nominis conveniunt quae de origine patris poetae exponemus, cuius de vita certiores nos facit ipse poeta in primo carmine *Parentalium* et in *Epicedio in partem*. Iulius Ausonius Cossione Yasatum, parva civitate Aquitaniae, natus ex familia si non illustri, tamen honesta, cum Burdigalam se contulisset, et medendi peritia morumque integritate tantam sibi famam accepit, ut duobus curiis adscriberetur, Burdigalensem et Vasatum<sup>2</sup>. Uxorem duxit, ut antea diximus, Aemiliam Aeoniām, quae fuerat «sanguine mixto / Tarbellae matris patris et Haeduici» (*Parent.* 2, 1-2), Aquis Tarbellicis natam et filiam Caecilii Argicīi Arborii, nobilissimi inter Haeduos viri, et Aemiliae Corinthiae Maurae; mater igitur Ausonii, quod saltem ad paternam stirpem pertinet, nobili genere fuit.

Nam poeta Burdigalensis multa nobis tradidit de sua stirpe materna in primis de suo avunculo, quem Ausonius in tertio *Parentalium* magna cum pietate commemorat inter alia dicens «quem primum memorare nefas» sibi putavisse «patre secundo, / rursum non primum ponere paene nefas» (*Parent.* 3, 3-4), et de suo avo materno, qui astrolologiae gnarus sideribus nataliciis animadversis fata nepotis nota habuit (*Parent.* 4, 17 sqq. et 29-30). Refert etiam se educatum esse cura non tam matris quam aviae maternae, quam tamen adiuvabant ad educandum puerum Aemilia Hilaria matertera et Iulia Cataphronia amita, virgines devotee (*Parent.* 6 & 26), atque Aemilia Dryadia matertera (*Parent.* 25), quae summo puerum amore amplexae quasi materna cura fovebant.

Sed tam admirandum cuique videtur poetam Burdigalensem, quamquam in *Parentibus* tam subtiliter de personis plus quam tri-

1. Cf. item *ThLL* II 1540, 36-66 (s.v. *Ausonius*); J. Perin, *Onom.* I, p. 227 (s.v. *Ausonius*); Fr. Marx, *op. cit.*, col. 2562; *PLRE* I, pp. 138-141 & II, pp. 202-203; ex omnibus qui cognomine *Ausonius* feruntur prior aetate *Iulus* esse videtur.

2. Vd. *Epiced.* 2, 4-5 «Vasates patria, sed lare Burdigalam. / curia me duplex et uterque senatus habebat». Hoc indicium Ausonii diversas interpretationes accedit; alii existimaverunt «curia duplex et uterque senatus» significant Burdigalensem et Romanam (cf. C. Schenkl, *op. cit.*, p. viii «non solum adscriberetur in senatum Burdigalensem, sed etiam in curiam Romanam et senatum adlegeretur»; R. Peiper, *op. cit.*, p. lxxxvi); alii autem curiam Burdigalensem et Vasatum, quod est magis verisimile, cf. M. J. Byrne, *op. cit.*, pp. 5-6; M. K. Hopkins, *op. cit.*, p. 241; A. Pastorino, *op. cit.*, p. 13; H. Sivan, *op. cit.*, p. 49.



ginta utriusque familiae, in primis maternae sed tamen et paternae, certiores facit lectorem, diligenter cavens ne cuius obliviscatur, nihil de avo paterno memoravisse<sup>1</sup>. Hoc silentio Ausonii de origine paterna suspicari licet Iulium Ausonium humili familia ortum esse; hoc argumentum si iungatur cum confirmatione poetae quod Julius Ausonius fuit «sermone in promptus Latio, verum Attica lingua / sufficit culti vocibus eloquii» (*Epiced.* 2, 9-10), facile concluditur linguam maternam Iulii Ausonii plane graecam magis quam latinam fuisse.

Sed diu inter studiosos certamen fuit quae lingua materna, exclusa certe latina, Iulii Ausonii esset, graeca an celtica.

Alii hoc silentio Ausonii de avo paterno permoti humili origine ortum esse Iulium contenderunt et patrem eius posse esse graecum, fortasse libertum, sive Massiliensem, sive Roma ortum, sive etiam ex Graecia, qui in Galliam professionis suae causa emigraverit<sup>2</sup>; fueritne professor graecus, grammaticus aut rhetor, ut quidam graeci Ausonio memorati in *Commemoratione professorum Burdigalensis*<sup>3</sup>, an medicus, ut ipse Julius, haud improbabile videtur<sup>4</sup>. Etiam ipsum cognomen Ausonius tali interpretationi patrocinatur quod, ut quidam contenderunt, servos et emigrantes decet<sup>5</sup>.

1. Cf. A. Pastorino, *op. cit.*, p. 14.

2. Cf. P. Martino, *Ausone et les commencements du Christianisme en Gaule* (Thèse de lettres), Paris 1906, pp. 25 sqq.; F. Plessis, *La poésie latine*, Paris 1909, pp. 673 - 675; M. K. Hopkins, *op. cit.*, p. 241; M. Rostovtzeff, *The social and economic history of the Roman Empire*, Oxford 1966, p. 626 n. 56; A. Pastorino, *op. cit.*, pp. 13-14; R. Browning, «Later principates», in E. J. Kenney - W. V. Clausen (ed.), *The Cambridge History of Classical Literature, II Latin Literature*, Cambridge 1982, p. 698; H. Sivan, *op. cit.*, pp. 55-56.

3. Sicut Corinthius, Spercheus, Menestheus, Citarius Syracusanus et Censorius Atticus (*Prof.* VIII, XIII, XVI); cf. A. Pastorino, *op. cit.*, p. 14; D. K. Ralos, *op. cit.*, pp. 41-43 proprie notas 114-115.

4. Cf. P. Martino, *op. cit.*, p. 25; A. Pastorino, *op. cit.*, p. 14.

5. Cf. M. K. Hopkins, *op. cit.*, p. 241 «Such men were common, and the name Ausonius - Westerner - seems a typical slave name»; A. Pastorino, *op. cit.*, p. 14 «il nome stesso, Ausonio, portebbe far pensare a un tipico nome di schiavo»; H. D. Rankin, *op. cit.*, p. 235 «The name "Ausonius", "man of the west" could only to easily be that of an eastern slave or freedman who had come to live in the west»; H. Sivan, *op. cit.*, p. 56 qui consentit opinioni de origine graeca Iuli Ausonii et nominis Ausonius sed de servili origine dissentire videtur: «That Greek names occur in Ausonius' family throughout its history is true enough (Hesperitus, Thalassius, Cataphronia, etc.) But if we were to conclude that every person in the west with a Greek name and no recorded ancestry was a freedman, the result would be absurd».

Alii concedentes «sermone inpromptum» significare Iulum ineptum orationibus conponendis sermone latino fuisse eumque melius nosse linguam graecam professionis sui causa — fuit enim «non ultimus arte medendi» (*Epiced.* 2, 1) et hac de causa cognitio linguae graecae erat ei necessaria — contenderunt linguam maternam eius fuisse non graecam sed celticam, quendam dialectum gallicam, aut ibericam<sup>1</sup>; sententiam etiam dixerunt Iulum, si tam humili origine esset, non potuisse uxorem ducere filiam nobilissimi Caecilii Argicui Arborii<sup>2</sup>.

Huic tamen opinioni opponere possumus quod ipse Caecilius in matrimonium duxit Aemiliam Corinthiam Mauram, cuius cognomina, quamquam ipsa Aquis Tarbellicis vivebat tempore quo nupserat Caecilio (cf. *Parent.* 2, 2), graecam originem indicant: cognomen Corinthia est plane nomen loci originem indicantis et cognomen Maura, cuius brevem explicationem, ut supra diximus, conatus est Ausonius (*Parent.* 5, 3-4), adiectivum graecum latine transcriptum esse videtur<sup>3</sup>. Nihil aliud de origine aviae materna dicit poeta, unde suspicari liceat eam humili genere ortam esse; haec autem causa matrimonium suum cum nobilissimo Caecilio non prohibuisse videtur.

1. Cf. C. Julian, «Ausone et son temps I», *RH* 47 (1891), p. 224; S. Dill, *op. cit.*, p. 167; R. Pichon, *Les derniers écrivains profanes*, Paris 1906, pp. 302-303; E. K. Rand, «D. M. Ausonius, the first French poet», *PCA* 24 (1927), p. 30; Ch. Favez, «Une famille gallo - romaine au iv<sup>e</sup> siècle», *MH* 3 (1946), p. 122; J. Whatwough, *op. cit.*, p. 269 n. 2; J. R. Hussey, *Ausonius and his concept of the worthwhile life* (Diss.), Tufts. Univ. Medford 1974, pp. 19-20; G. J. Fisher, *op. cit.*, pp. 3-5; H. D. Rankin, *op. cit.*, pp. 232-233; R. P. H. Green, *op. cit.*, pp. xxv & 276.

2. Vd. G. J. Fischer, *op. cit.*, p. 4; H. D. Rankin, *op. cit.*, p. 232.

3. De nomine Maura vd. H. Sivan, *op. cit.*, p. 184 n. 16 «The name Maura, derived from north - west African people, was found primarily in Spain and Africa (Kajanto, *Latin Cognomina*, 206). It is possible therefore that the attraction of the Spanish provinces for her descendants was due to Maura's family having some connections there». Nomen ipsum tamen est graecum adiectivum μαῦρος, quo Romani solum pro nomine proprio ad nominandos incolas Mauritaniae utebantur, cf. Ch. T. Lewis - Ch. Short, *op. cit.*, p. 1121 s.v. Mauri - orum, *m.* (*Μαῦροι*), *The Moors, Mauritanians, the inhabitants of Mauritania*; ibidem Maurus, *a*, *um*, *adj.*, = Μαῦρος, *of belonging to the Moors, Moorish, Mauritania*; ibidem Maurusia, *ae*, *f.*, = Μαυρουσία et Maurusius, *a*, *um*, *adj.*, = Μαυρούσιος; *ThLL* VIII 508, 70-71 «maura, mauraria, maurella, mauricatum, maurice, maurus *v.* *Onom. s.v. Mauri*»; cf. etiam *LSJ* (1996) *Suppl.* p. 204 s.v. μαῦρος, add «cf. mod. Gk μαῦρος» et μαυρός; A. Pertusi, *Scholia vetera in Hesiodi Opera et dies*, Milano 1955, pp. 211-212 ad versum 693a «...δμαυρωθεῖη, δύναται δὲ καὶ μαυρωθεῖη· καὶ γὰρ ἐν ἄλοις (v. 325)· ρεῖδ τέ μιν μαυροῦσι θεοῖ». 

Quo ex matrimonio praeter Aemiliam Aeoniām, matrem poetae, et Aemiliūm Magnum Arboriūm natae sunt duo filiae, Aemilia Hilaria, quae «in cunis Hilari cognomen adepta, / quod laeta et pueri comis ad effigiem, / reddebas verum non dissimulanter ephebum, /\*\*\* / more virum medicis artibus experiens» (*Parent.* 6, 3-6), et Aemilia Dryadia (*Parent.* 25), quarum cognomina graeca verisimilitudinem graecae originis maternae confirmant. Cognomen etenim Dryadia est unicum per totam latitatem et, praeter Ausonium, nusquam reperiri videtur<sup>1</sup>.

Simili modo nomina graeca inter personas familiae paternae Ausonii confirmant probabilitatem graecae originis Iulii Ausonii; hic duos fratres et duas sorores habebat: Claudium Contemtum, qui magnas divitias accumulavit et omnibus amissis Rutupiis Britannicis mortuus est, et Iulium Callippionem, patruos Decimi (*Parent.* 7), et amitas Iuliam Veneriam (*Parent.* 27), mater quae fuerat Iuliae Idaliae (*Parent.* 28), et Iuliam Cataphroniam (*Parent.* 26); observanda sunt cognomina graeca Callipio, Cataphronia, Idalia. Nomen etenim virile *Καλλιππίων* est item unicum in litteratura latina<sup>2</sup>.

Sed sororibus etiam Ausonii nomina graecae originis erant; ex matrimonio Iulii Ausonii et Aemiliae Aeoniae quattuor pueri nati sunt; Aemilia Melania, quae uno consule maior natu Ausonio fuit (*Parent.* 29), Decimus, Iulia Dryadia (*Parent.* 12) minor natu poeta, et Avitianus qui «minor iste natu» Decimo «sed ingenio prior / artes paternas inhibet» (*Parent.* 13, 3-4). Observanda iterum nomina Melania, quod, ut ante diximus, respondet cognomini Maura, et Dryadia quod certe nomini Arborius respondet. Observandum etiam existimamus quod Avitianus artes paternas exercuit, scilicet professionem medici, quam saepissime graeci profitebantur<sup>3</sup>; qua ratione, cum professio medici in familia Ausonii traditionalis fuerit, probabilitas et patrem Iulii medi-

1. Cf. *ThLL Onom.* II 260, 28-31; H. Sivan, *op. cit.*, p. 53.

2. Cf. item *ThLL Onom.* II 93, 45-46; *PLRE* I, pp. 174-5 (Callipius & Callippinus); H. Sivan, *op. cit.*, p. 55.

3. Cf. item H. Sivan, *op. cit.*, pp. 55-56 & 185 n. 42; *De scholis graecis medicinalibus in antiquitate* vd. R. Taton (ed.), *La science antique et médiévale*, Paris 1966, pp. 288-293, 393-395, 401-404; E. D. Phillips, *Aspects of Greek Medicine*, USA 1987 (=1973), pp. 139 sqq. & 182-196; L. Edelstein, *Ancient Medicine* (trsl.) C. Lilian Temkin), London 1987, pp. 40-48 & 482. *De scientia medicinali latina et litteratura et de actionibus graecis* vd. H. Flashar (ed.), *Antike Medizin*, Darmstadt 1971, pp. 308-360 & 417-434.



cum fuisse corroboratur<sup>1</sup>. Addendum etiam quod schola medicinae Massiliae, ubi instruebantur medici graeci et galli, fuit graeca<sup>2</sup>. Hac de causa qui gallicam originem Iulii Ausonii contenderunt, Iulium cognovisse bene linguam graecam rati sunt quia ea necessaria medicis erat<sup>3</sup>. Sed tamen nostra quidem opinione conceptio Ausonii «Attica lingua / suffecit culti vocibus eloquii» significare videtur cognitionem linguae certe maiorem quam professione opus est.

Origo graeca igitur Ausonii magis laudanda videtur quam gallica. Quod ad propositum pertinet, an avus eius libertus fuerit, non improbabile videtur, si cogitemus nomen Iulius, tam illustre et priscum nomen gentilicium romanum<sup>4</sup>, in ordine nominum Ausonii non apparere; quam rationem sequitur interrogatio cur poeta Burdigalensis tam clarum nomen accipere noluit et cur etiam de nomine Iulus nihil dicit, quamquam sibi placebat originem nominum suorum investigare, ut e. g. de nominibus Arborius et Maura atque de ipso nomine Ausonius fecit<sup>5</sup>. Conclusio igitur ex hoc silentio Ausonii possit inferri avum aut proavum eius fortasse libertum fuisse et Iulum nuncupatum esse, ut moribus romanis solitum erat libertos accipere nomen gentilicium domini, qui eis libertatem donavit<sup>6</sup>; magis igitur verisimile videtur avum aut proavum Ausonii fuisse libertum cuiusdam domini nomine Iulio quam id habuisse a primordio stirpis sua, quoniam id mature, ut ante dictum est, acceptum esse a gallis videtur<sup>7</sup>; si non, poeta Burdigalensis id nomen honori sibi haberet maximeque stirpem patris sui laudaret.

1. Cf. F. Plessis, *op. cit.*, pp. 672 sqq.; M. J. Byrne, *op. cit.*, pp. 5-6; M. K. Hopkins, *op. cit.*, pp. 241; A. Pastorino, *op. cit.*, pp. 13-14; H. Sivan, *op. cit.*, pp. 56 & 185 n. 42 «In Narbonne, all seven known doctors in the early empire were of Greek origin and all freedmen, M. Gayraud, *Narbonne antique des origines à la fin du IIIe siècle*, Supp. 8 de la *Revue archéologique de Narbonnaise* (Paris 1981), 548-50».

2. Cf. A. Pastorino, *op. cit.*, p. 14 n. 17.

3. Cf. M. J. Byrne, *op. cit.*, p. 6; Cf. Favez, *op. cit.*, p. 121; R. P. H. Green, *op. cit.*, p. 276.

4. Hoc ipsum nomen ad Iulum, filium Aeneae, recurrit, qui auctor gentis Romanae paterque gentis Iuliae fuisse traditur, et ad ipsum C. Iulium Caesarem qui Galliam occupatam provinciam romanam fecit.

5. De suo nomine, ut supra vidimus, nihil aliud dicit nisi Italum aut Latium esse (*Epist. 10, 76* & *Mos 440*).

6. Talia exempla habemus iam a primordio litteraturae latinae cum Lívio Andronico, qui libertus fuit, et non desunt aetatibus posterioribus.

7. Cf. item Ch. Samaran, *op. cit.*, pp. 296 & 313-314.



His etiam argumentis, quae origini graecae Ausonii patrocinantur, aliud est addendum, praetermissum item, quantum scimus, a ceteris studiosis: in praefatione *Epicedii in patrem* ipse poeta aperit «titulus a Graecis auctoribus defunctorum honori dicatus, non ambitiosus, sed religiosus». In litteratura latina terminus *graecus Epicedion* multo rarius terminis latinis usurpatur et ante Statium non apparere in litteris latinis videtur<sup>1</sup>. Hunc praesertim titulum elexit Ausonius «a Graecis auctoribus» non ambitione quadam sed reverentia adversus patrem suum defunctum<sup>2</sup>; quo modo haec electio tituli graeci documentum reverentiae Ausonii adversus patrem suum haberetur, si lingua materna Iulii Ausonii esset gallica?

Sed de origine nominibusque Ausonii satis dictum putemus; factum est, credimus, perspicuum stirpem paternam poetae Burdigalensis magis graecam quam gallicam fuisse, quae non functa esset honoribus ante Iulium Ausonium<sup>3</sup>, quamquam divitias iam a proavo poetae habuisse videtur, si iudicemus ex eis quae de herediolo paterno ipse Ausonius dicit «salve, herediolum, maiorum regna meorum / quod proavus, quod avus, quod pater excoluit» (*Hered.* 1-2)<sup>4</sup>.

1. Cf. Crustus, *RE VI*<sup>1</sup> (1907), col. 112-113 (s.v. *Epikedelon*); Ch. Favez (trasl. J. W. Duff), *OCD*, p. 323 (s.v. *Epicedium*).

2. Hoc loco Ausonii adiectivum *religiosus* magnam reverentiam adversus patrem defunctum significare videtur, cf. Forcellini et alii, *Lexicon totius latinitatis*, Patavii, vol. IV, p. 70 «Gallus Aelius inter sacrum et sanctum et religiosum differentias bellissime refert. Sacrum aedificium, consecratum Deo... religiosum sepulcrum, ubi sepultus aut humatus sit»; latiore sensu hoc adiectivum distinguit quidquid magna cum veneratione conficitur, cf. *OLD* 1606 (s.v. *religiosus* 6 & 8). Simili modo hoc adiectivo Ausonius utitur etiam in *Commemoratione professorum Burdigalensium* (10, 3 & 32).

3. Hunc ratione consentiunt omnes studiosi et qui originem gallicam et qui originem graecam Ausonii contenderunt, quorum nomina et opera supra citavimus.

4. Hoc indicio Ausonii nisi quidam defenderunt, si avus aut proavus paternus Ausonii libertus esset, non potuisse tam opulentem esse (cf. Pichon, *op. cit.*, p. 302; Ch. Favez, *op. cit.*, pp. 122-3 n. 25; R. P. H. Green, *op. cit.*, p. xxv); alii defenderunt Iulium Ausonium hoc *herediolum* non hereditate paterna relictum habuisse sed sive ex uxore sua (cf. Hopkins, *op. cit.*, p. 241) sive emptum a se ipso (cf. H. Sivan, *op. cit.*, p. 68; plura de eodem herediolo vide in pp. 66 sqq. & 188 de bibliographia ad hoc pertinente). Quaro hoc indicium poetae desideraverunt *suggestionem falsi* (vd. M. K. Hopkins, *op. cit.*, p. 241 «when Ausonius says his father, grandfather, and great-grandfather cultivated the same estate it was a *suggestio falsi* designed to cover the tracks of a humble paternity») aut *poeticam licentiam* (vd. H. Sivan, *op. cit.*, p. 68 «The addition of two more paternal ancestors who had nothing to



Gens igitur Ausoniana exemplum est excelsum in primis signifcans mobilitatem socialem in Gallia romana per ultima decennia tertii et per totum quartum saeculum p. Chr. n., ubi successus professionis poterat addere familiae non a primordio nobili cursum honorum summorum eamque collocare in ordine novae adscendentis nobilitatis<sup>1</sup>.

Hoc illud enim ipso Ausonio fuit praecipue frugiferum quod tantam gloriam docendi per trina decennia Burdigalae adeptus est<sup>2</sup>, ut ab imperatore Valentiniano ad educandum filium Treveros vocatus sit<sup>3</sup> ibique in aurea palatia summis honoribus functus sit<sup>4</sup>, ut ipse poeta ait in carmine elegiaco *ad lectorem* (vv. 34-38) «at meus hic» sc. discipulus Gratianus «toto regnat in orbe suo. / cuius ego comes et quaestor et, culmen honorum, / praefectus Gallis et Libyae et Latio / et, prior indeptus fasces Latiamque curulem, / consul, collega posteriore, fui».

do with the estate is poetic touch that possibly illustrates Ausonius' deep and sincere attachment to his heritage and his father»). Hoc etiam indicium Ausonii verum esse possit, si meminerimus exemplum Claudii Contemti, patrui sui, qui, ut supra diximus, magnam pecuniam Rutupinis Britannicis accepit (*Paren. 7, 2-3*). Utcumque est, sive hoc indicium Ausonii verum est sive suggestio falsi aut poeticus color, de origine sua paterna satis iudicatur Ausonium nihil aliud praeter hoc indicium dixisse.

1. Cf. R. Browning, *op. cit.*, p. 698 qui refert contemporaneos Ausonii Livaniū (c. 314-393) et Themistium (c. 317-388) qui fuerunt exepmla aequiparata huic Ausonii in oriente parte imperii Romani; H. Sivan, *op. cit.*, pp. 4 sqq. Ad hanc rem inprimis pertinent articulus M. K. Hopkins et liber H. Sivan, supra citati, in quos saepe recurrimus.

2. Cf. C. Schenkl, *op. cit.*, p. ix; Fr. Marx, *op. cit.*, col. 2563; M. J. Byrne, *op. cit.*, pp. 10-11; W. John, *op. cit.*, p. 33; A. Pastorino, *op. cit.*, pp. 18-19; A. D. Booth, «The Academic career of Ausonius», *Phoenix* 36 (1982) 329-343; H. Sivan, *op. cit.*, pp. 59, 76-81, 84, 104.

3. Hoc idem accidit ante triginta quinque fere annos avunculo Ausonii, ut supra vidimus, qui successus professionis causa a Constantino Magno imperatore ad erudiendum filium eius Constantinopolim vocatus est.

4. De cursu honorum quibus non solum ipse *noous homo* Ausonius functus est sed etiam et pater Iulius, et filius Hesperius, et gener et aliae personae gentis ausontianas vd. M. J. Byrne, *op. cit.*, p. 15; A. Pastorino, *op. cit.*, pp. 18-26; H. Sivan, *op. cit.*, pp. 49-50, 111-115, 119, 131-135 et passim.



## ΠΕΡΙΛΗΨΗ

Σ' αύτή τήν έργασία ἐπιχειροῦμε ἔναν ἐπαναπροσδιορισμὸν τοῦ προβλήματος τῆς καταγωγῆς καὶ τοῦ δνόματος τοῦ Αὔσδνιου, γιὰ τὰ δποῖα οἱ ἀπόψεις διέστανται, προσκομίζοντας καινούρια στοιχεῖα ποὺ συνηγοροῦν ὑπὲρ τῆς ἐλληνικῆς προέλευσης τοῦ δνόματος καθὼς καὶ τῆς καταγωγῆς τοῦ Αὔσδνιου.

Γιὰ τὸ δνομα ὑποστηρίζουμε δτι δὲν θὰ πρέπει νὰ θεωρηθεῖ γαλατικό, δπως ὑποστήριξαν μερικοὶ ἐρευνητές, ἀλλὰ δτι θὰ πρέπει νὰ συνδυαστεῖ μὲ τὸ δνομα Ausones ἢ Ausonii, ποὺ εἰναι τὸ ἐξελληνισμένο δνομα τῆς δσκεκῆς φυλῆς Aurunci, ἀπ' δπου καὶ ὀλόκληρη ἢ Ἰταλία πῆρε τήν ἐπωνυμία Ausonia, γνωστὴ καὶ μὲ τὸ ἐλληνικὸ δνομα Hesperia. Ἡ ταυτοσημία τῶν δνομάτων Ausonia - Hesperia ὑπάρχει καὶ στὰ δνόματα τοῦ Αὔσδνιου καὶ τῶν γιῶν του Ausonius - Hesperiis κατὰ τὴ συνήθεια ποὺ φαίνεται νὰ ὑπῆρχε στὴν οἰκογένεια τοῦ Αὔσδνιου, δπου πολλοὶ εἶχαν ἐλληνικὰ δνόματα τὰ δποῖα ἀντιστοιχοῦν σὲ δνόματα, λατινικά ἢ ἐλληνικά, ἀλλων μελῶν τῆς Ἰδιας οἰκογένειας (Dryadia - Arborius, Idalia - Veneria, Melania - Maura). Ἔτσι συμφωνοῦμε μὲ τὴ σημασία τοῦ δνόματος Αὔσδνιος «Δυτικός» «Ἀνθρωπος ἀπὸ τὴ Δύση», τὴν δποία μάλιστα παραδέχονται καὶ μερικοὶ μελετητὲς οἱ δποῖοι ὑποστηρίζουν ώς πιθανὴ τὴ γαλατικὴ καταγωγὴ τοῦ Βορδιγάλειου ποιητῆ (Fisher, Rankin).

“Οσο ἀφορᾶ τὴν ἀποψὴ δτι αύτὸ τὸ δνομα ταιριάζει σὲ δούλους καὶ ἀπελεύθερους (Hopkins, Pastorino), παρόλο ποὺ δεν μπορεῖ νὰ τεκμηριωθεῖ πειστικὰ ἀν δ παππούς τοῦ Αὔσδνιου ἥταν ἀπελεύθερος ἢ δχι, ἐπισημαίνουμε δτι αύτὴ ἢ πιθανότητα φαίνεται νὰ ἐνισχύεται ἀπὸ τὴν ἀπουσία τοῦ δνόματος Iulius, ἐνδος τόσο παλιοῦ καὶ λαμπροῦ ρωμαϊκοῦ δνόματος γένους, ἀπὸ τὰ δνόματα τοῦ Αὔσδνιου, δπου ἀντὶ τῆς καθιερωμένης σειρᾶς (praenomen, nomen gentile, cognomen) ὑπάρχουν μόνο τὸ γραενόμενο (Decimus) καὶ δύο cognomina (Magnus, Ausoniis).

“Οσον ἀφορᾶ τὴν ἀποψὴ τῆς ἐλληνικῆς καταγωγῆς τοῦ Αὔσδνιου, ἔκτὸς ἀπὸ τὴ δήλωση τοῦ Ἰδιου δτι δ πατέρας του γνώριζε πολὺ καὶ ἐλληνικὰ καὶ λιγότερο καὶ λατινικά, ἡ ἐρευνά μας δδήγησε στὴν ἀνίχνευση καὶ ἀλλων στοιχείων ποὺ συμβάλλουν, κατὰ τὴν ἀποψὴ μας, στὴν τεκμηρίωση τῆς παραπάνω θέσης, δπως:

1) Τὰ πολλὰ ἐλληνικὰ δνόματα στὴν οἰκογένεια ἐκ τῶν δποίων μάλιστα μερικά, ἵπως Dryadia, Callippio, ἀπαντοῦν μόνο στὸ ἔργο τοῦ Λύσδνιου καὶ σὲ καμιὰ ἄλλη πηγή.



2) Τὸ γεγονὸς ὅτι στὴν οἰκογένεια πολλοὶ ἀσκησαν τὸ ἐπάγγελμα τοῦ γιατροῦ, μεταξὺ τῶν ὁποίων ὁ ἀδελφὸς καὶ ὁ πατέρας τοῦ ποιητῆ, κάτι ποὺ ἀπὸ παράδοση ἀσκοῦσαν οἱ Ἕλληνες. Αὐτὸ ἐνισχύει τὴν πιθανότητα καὶ ὁ παπποὺς τοῦ Αὔσονιου νὰ ἦταν κάποιος Ἑλληνόγλωσσος γιατρὸς τῆς ἀνατολῆς, ὅπως ἔχουν ὑποθέσει μερικοί μελετητές.

3) Ἡ πληροφορία ποὺ μᾶς δίνει ὁ Ἰδιος ὁ Αὔσονιος στὸν πεζὸ πρόλογο τοῦ Ἐπικηδείου στὸν πατέρα του, ὅτι ἐπέλεξε τὸν τίτλο ἀπὸ "Ἐλληνες συγγραφεῖς ὃχι ἀπὸ κάποια φιλοδοξία ἀλλὰ ἀπὸ βαθὺ σεβασμὸ πρὸς τὸν νεκρὸ πατέρα του. Αὐτὴ ἡ αἰτιολόγηση ποὺ μᾶς παρέχει ὁ ποιητὴς γιὰ τὴν ἐπιλογή του δὲν θὰ εἶχε κανένα νόημα ἀν μητρικὴ γλώσσα τοῦ Ἰούλιου Αὔσονιου δὲν ἦταν ἡ Ἑλληνική.

